

Petrus de Vinea

*Ep. I 11. (Victorioso exercitu nostro...)*

Basilicata University Press

—

*Digital Humanities*

Edizioni e data-bases digitali  
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. I 11. (Victorioso exercitu nostro...)*

1245, settembre

Regi Angliae et aliis regibus, de morte Gregorii papae noni.

1. Victorioso exercitu nostro Romanis finibus insidente, ad quos auiditate componendae pacis, et uoto generalis discidii remouendi, specialiter celsitudo nostra peruenit, publicus ad castra nostra rumor exiuit, quod ... die presentis mensis Augusti, Gregorius, Romanus pontifex, humanis est rebus exemptus, ut qui pacem et tractatum pacis recipere denegabat, ad uniuersalem dissensionem aspirans, ne ultoris [uel uulgaris] Augusti metas excederet, qui augustum offendere nitebatur.

2. Reuera mortuus est, per quem pax deerat terris, et uigebat discidium, et quam plures in mortis periculum incidebant, de cuius morte multa compassione ducimur, et licet contra eum digno odio moueremur, uelut ab eo manifestis iniuriis et euidentis inimicitiae persecutionibus lacesiti, gratum tamen compassio nostra duxisset, si diebus suis fuisset ab Actore salutis indultum, quod reuerendam matrem nostram, sacrosanctam Romanam Ecclesiam, et Romanam sedem Imperii, cui Domino presidemus actore, in optata pace sopitis dissensionibus statuisset, et ortum de suo motu scandalum generale, quod ualde fuit modernis temporibus Christi fidelibus onerosum, suo tempore quieuisset.

3. Sed, cum aliter prouisum fuerit in excelsis apud omnium Conditorem, qui nouit in abscondito consilia malignantium, rebus dissidentibus prouidit ad clamorem Christiani populi consulendum, et disponet in Apostolica Sede uirum secundum cor Suum, qui sui predecessoris erronea corrigat, et malefacta reformet, totius mundi paci prouideat et nos in maternam dilectionem Ecclesiae

uiuificet et reformat. 4. Ad quod uotis ardentibus et dolentibus animis, totisque conatibus insudamus, ut pacis amico, et iustitiae zelatore, in Dei Ecclesia substituto, ad honorificentiam noui patris, deuotus filius assurgamus, dummodo predecessoris crimen et odium non sequatur, omnimodam beniuolentiam, [et] defensionem [patrimonii uel] et patrocinium impensuri ad tuitionem catholicae fidei, et ecclesiasticae libertatis. 5. Cum ad hoc, disponente Domino, Imperii sceptrum sumpserimus, et Romanum Imperium nostrum sit ad preparationem [uel predicationem] Euangelii preparatum, ut catholicam fidem, et matrem Ecclesiam, a cunctis hostium incursibus nostrarum uirium conatibus eruamus, presertim cum ex occidentalibus partibus Tartarorum hostis adueniat, qui, destructis per quodcumque transitum habuerit regnis, et diuersarum multitudine gentium conculcata et copia populorum, funditus abolere satagit tam nomen, quam cultores fidei Christianae, cui de prouidentia noui patris Romani substituendi pontificis, assistente nobis potentia regum et principum orbis terrae, magnifice disponimus obuiare, 6. assumentes fiducialiter causam Dei, qui nostros aufert de medio inimicos, ut expositas ad eius seruitium impedire nequeant uias nostras. 7. Vos igitur diuinae prouisioni, ac nostris affectibus deuoti, et hilares assurgentes, tam uestrorum proposita cordium preparetis ad pacem, quam armis necessariis corpora muniatis ad conterendam una nobiscum aduenientium hostium superbiam Tartarorum.